natandi supernatat: natura enim illud humidum, pōdus sustinet omne, cui contigit participē esse incrementi uel spiritus extra q̄ si de solidorū genere fuerit. Nec istorū ratis absimilis est prouerbiali illi, quē ῥίπτε Greci uocāt. Lucianus: ὦ ῥίπος ὡς ἡ παροιμία φησὶ τὸ ἀνάξιον ἢ τὸ ἴονιον δὴ πλοῦσαι θέλοντα. Strabo in XV. σχεδίας καλαμίνας dixit ubi de ἀσφάλτῳ mentionē facit. Fuerunt & monoxylæ lintres, ut apud Plinīū in VI. Regio autē ex qua piper monoxylis lintribus Baracē conuehitur, uocatur. Quas designare uidet Liuius Decadis III lib. I. Nouasq̄ alias primū Galli inchoantes cauabāt ex singulis arboribus, deinde & ipsi milites simul copia materiæ, simul facilitate operis inducti, alueos informes nihil dūmodo innare aquæ, & capere onera possent, curātes raptim faciebāt. Alueum autē pro carina uidetur sumpsisse Liuius Decadis III lib. III. dum ait: Ibiq̄ adeo non armamēta modò sed etiam aluei nauium quassati erant, subductæ naues dum reficiūtur aliquantū temporis contriuerunt. Sallustius in bello Iugurthino: Hiq̄ alueos nauium inuersos pro tuguriis habuere. Alueum etiā pro uase ligneo posuit idem Liuius in primo: Tenet fama, quum fluitātem alueum quo expositi erāt pueri, tenuis in sicco aqua destituisset, lupam sitiētem ex montibus, qui circà sunt, ad puerilem uagitū cursum flexisse. Quem alueum Plutarchus in Romulo, σκάφην uocat: ἐνθέμενοι δὴ εἰς σκάφην τὰ βρέφη κατέβη μὲν ὡς τὸν ποταμὸν ὡς ῥίψων. idest, impositis in alueū pueris descēdit ad fluuium ut proiecturus. Scapha enim non solùm nauiculā significat, sed etiam uas concauū, quod etiā nunc nomē retinet apud Venetos. Plutarchus in Demetrio: ἐφόλκιον appellat, τὴν περὶ ναῦν ἀπρέμας ἔχειν πάντας αὐτὸς ἐμβὰς εἰς τὸ ἐφόλκιον ἐξῆλθε μόνος. idest, Iussisq̄ in naui omnibus conquiescere, ipse conscendens